Fragmentum epistolae M. Lutheri ad quendam Lypsicum transmissae. XII / 3001

Sententiam istam apud vos regnantem adversus Evangelium dolens audio. Sed cui, ut ait iste princeps, mutet sponte sententiam aut alius iubebit mutare vel invitum, et hoc brevi. De praedestinatione vero scribit Mosellanum cum Erasmo antea non totus, id est, Erasmicus est. Ego contra sentio Erasmum minus de praedestinatione scire vel scire se ostentare, quam sophistarum scholae hactenus sciverunt. Neque est ut timeam casurum me nisi mutem sententiam. Non est Erasmus in hac re formidabilis, sicut neque in summa ferme tota rerum Christianarum. Potentior est veritas quam eloquentia, potior spiritus quam ingenium, maior fides quam eruditio, et ut ait Paulus stultum dei sapientius est hominibus. Ciceronis eloquentia saepe superata est inferiore eloquentia. Julianus eloquentior est Augustino. In summa, victoria est penes balbutientem veritatem, non apud mendacem eloquentiam. Sic scriptum est: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem etc. Non provocabo Erasmum, sed neque provocatus semel et iterum mox referiam, tamen non videtur mihi consultum, ut vires eloquentiae suae in me instituat. Nemo enim non inveniat in Luthero Fabrum Stapulensem neque possit gloriari sicut de illo gloriatur. Mihi autem omnes gratulantur mortuum esse gallum. Quod si se commiserit, hunc aleae videbis Christum nec portas inferi nec potestates aeris formidantem. Et certare balbutientissimus Lutherus eloquentissimo Erasmo cum fiducia, etiam nihili habita eius auctoritate, nomine et favore. Ego novi quid sit in hoc homine, quemadmodum etiam Satanae cogitationes novimus, quamquam expecto ut in dies magis revelet id quod in me alit. Haec verbosius tecum ago, ut habeas quo nihil pro me sollicitus sis aut timeas nec ampullis aliorum magnificis terrearis etc.